

1840.

1656, 10

252

My

Q. D. B. V.  
Dissertatio Politica

De  
**POTESTATE  
PATERIA,**

*Quam*  
Permissu Superiorum  
Præside

M. GOTTFRIDO ZAPPFIO

Thuringo  
publicæ ventilationi  
exponit

MARTINUS Siebenhaar

Vratisl. Silesius

ad diem 21. Maji

Anno 1656,

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ  
Typis RITZSCHIANIS.  
jo.

G. M. Leipzg.

P

O.D.O.  
Praesidio Pollicis

ET ALIIS  
PLATY

COLONIAPOLIO

ALIAS CINQUO

Quidam mala


littera

magister

HUGO

1752

T. de RHECHAMNI



Cum Deo!

S. I.

**D**icitur de patria potestate, ne caligare videamur, sub initium monemus i. Per patriam potestatem non idem ab omnibus intelligi: quando enim JCTi de ea loquuntur, intelligunt talem, quæ parenti masculini solum sexus competit in liberos, matres vero ab ea penitus excludunt: vi tit. ii. l. 1. Instit. de adopt. §. 10. ubi dicitur: *mater non potest adoptare, propterea, quod nec naturales liberos in sua habet potestate & l. 2. tit. 19. de hæred. qual. & differ. §. 3. Quia de causa & qui hæredes à matre constituuntur, eodem numero sunt, quia fœminæ in potestate liberos non habent:* Sed hic sensus impræsentiarum noster non est, eam enim intelligimus potestatem, quæ utriq; utriusq; sexus parenti communis est: *Quod vero eam nuncupemus patriam, facimus à patre tanquam parentum, potiore, modo satis frequente.* 2. Parentum & liborum nomen variè dici: Parentes enim quandoq; vocantur illi, qui eos qvorum respectu dicuntur parentes per naturalem generationem produxerunt; liberi, qui eo modo ab his sunt producti: Parentes etiam dicuntur, qui personas extraneas in liberos adoptaverunt; liberi, qui adoptati sunt: Parentes insuper nominantur, qui eos qvorum respectu dicuntur parentes cum altera conjugi

A. 2

ex

ex ea in alio matrimonio procreatōs acceperunt; liberi, qvi eo modo ab his suscep̄ti sunt, & qvæ sunt acceptio[n]es aliæ, ex qvib[us] omnibus ea solum est hujus loci, qvam recensuimus in ordine primam. 3. Sub parentib[us] qvan-doq[ue]; includuntur avi, proavi, & sub liberis nepotes, pro-nepotes & in universum omnes personæ, qvæ in linea-recta se invicem respiciunt, qvod significat Aristoteles 8. Eth. c. 13. *Natura, inquit, pater in liberos & maiores (h. e. avus, proavus) in nepotes habent imperium: & Justinianus eodem ferme modo: l. 1. Instit. tit. 9. §. 3. Qui igitur ex te & ex uxore tua nascitur, item, qui ex filio tuo & uxore ejus nascitur, id est nepos tuus & neptis & quæ in tua sunt potestate, & pronepos & proneptis & deinceps cæteri.* Sed qvanqvam h.l. maiores & posteri non inconvenienter cum nostra tractatione possent conjungi, de iis tamen solum tractationem suscep̄turi sumus, qvi se invicem immediate respiciunt, ut genito-res & geniti.

2. Intercedere autem inter eas, qvas hactenus legimus personas respectum imperantis & parentis, patet si omnium gentium historias perlustremus: de Romanis ut initium faciamus satis expresse ipsorum in liberos potestatem recenset Dionysius Halicarnassæus l. 2. antiquitat. Roman. p. 147. *Romanorum inquit legislator omnem (ut ita dicam) potestatem in filium patri concessit, idq[ue] toto vitæ tempore, sive eum in carcerem conhicere sive flagris cædere, sive vindictum ad rusticum opus deiinere sive occidere vellet.* Neq[ue] hoc, pergit paulo post, Romano legislatori satis fuit quod hanc potestatem patri dedisset, sed etiam ei filium vendere permisit vel certa vice: De Turcis & plerisq[ue] Mahometæorum referunt Menavin. in relat. histor. Turcicæ & Respubl. Arab. c. 3, p. 127. unam ex primariis Mahometæorum legibus esse, filios

filios subjectos esse debere parentibus. De Ægyptiis testatur Diodorus Siculus l. 2. De Persis Arist 8. Eth c. 12. refert, qvod Tyrannicam in liberos habeant potestatem, & ita alii de aliis: adeò ut maxime infelicem videantur inire pugnam, qui solum Romanorum esse volunt, in liberos habere potestatem: Etsi enim Justinianus dicat l. 1. Inst. tit. 10. §. 2. *Jus autem potestatis, qvod in liberos habemus proprium est civium Romanorum, nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualis nos habemus:* videtur tamen qvod laudatissimus Imperator aliis hominibus non neget potestatem, sed talem potestatem, qualis concessa erat parentibus apud Romanos, quare & non est cur Bodinus ipsum Imperatorem fallere dicat 1. de Republ. c. 4. n. 22.

3. Accedunt ad probationem hujus potestatis testimonia sacra qvam plurima, ex qvibus communiter in fronte agminis stare solet lex 1. tab. 2. ubi summus legislator præcipiens: *filios honorare debere parentes* tali utitur voce, qvæ alibi honorem cum subjectione & obsequio notat, ut observat Pagninus in thesauro Hebraico de illa voce: *Nos ex omnibus, qvæ adduci posunt sufficere*, putamus illud Deut. c. 21. v. 18. *Si genuerit homo filium contumacem, non audientem patris & matris imperium, & qui coercitus obediens contemserit, apprehendent eum & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentesq; adeos: Filius noster protervus est & contumax & monita nostra audire contemnit &c.* ubi expresse fit mentio imperii, qvod sanè nunquam est sine potestate.

4. De fundamentis autem & rationibus si circumspiciamus, qvibus innitatur & per qvas probari possit hæc potestas, offendimus nonnullos qui pro fun-

damento posuerunt beneficia, quæ parentes in liberos conferunt, summa, protegentes i.e. communi regula: Qui beneficium accipit libertatem suam vendit & reddit in ejus dominium à quo afficitur beneficio qui mos & hodie ferme videtur obtinuisse ut pro accepto beneficio offeramus nos servos: Nonnulli colligunt id ex Aristotele 8. Eth. c. 13. ubi, in unaqvaq, ait, reipublicæ administrandæ forma e atenuis suos fines proferre videtur amicitia, quatenus & jus, ac quæ Regis sane amicitia cum iis, qui in regno vivunt, intercedit, in quadam beneficii excellentia posita est, benè enim meretur de iis quibus imperat, si cum sit bonus curam eorum habeat tanquam ovium pastor ut sint fortunati ac beati. Talis autem est & paterna amicitia, nisi quod magnitudine beneficiorum præstat. Est enim pater filio causa, cur sit, quæ videtur esse res omnium maxima, idemq; alendum & erudiendum curavit: Itaq; etiam parentibus tribuitur honos. Jus autem in his non idem versatur, sed id quod pro dignitate est: Nec longè videtur ab ludere Plato, ille cum leges quæ ad Dei cultum pertinent, quibusdam capitibus complectetur, deq; cultu parentum diceret, subjungit: His enim liberi debent hoc spirabile cælum & vitam acceptam ferr:

Verum si sentire nobis licet, hæc assertio neq; vero videtur consentanea, neq; menti Philosophi: Ad hanc enim quod attinet, quantum nos colligimus Aristoteles loquitur de amicitia per totum caput & primo dicit, ubi est jus ibi quoque est amicitiam, amicitiam vero postea infert ex beneficiis, beneficia ex imperio: non vero jus sive imperium concludit ex beneficiis. Sed quicquid de hoc sit, rem ipsam quod spectat, dicimus, nequaquam ex beneficiis inferri posse potestatem parentum in liberos licet sint maxima: & quod dicitur beneficia accipientem libertatem suam vendere & in do-

mi-

minum benefactoris venire, si proprie capiatur, falso sum  
est, qvia sic non essent beneficia. Longe autem aliud est,  
eum qvi beneficia contulit, mereri retributionem, aliud,  
obtinere potestatem & imperium. Hoc minime sequi-  
tur. Qvod si vero vendere improprie & per analogiam  
sumatur, concedimus beneficia accipientem vendere,  
qvodammodo libertatem, dum tenetur pro viribus la-  
borare, ut retribuat, sed hoc modo improprium qvoq;  
inferetur dominium & analogica potestas, cum tamen  
demonstranda erat potestas parentum, qvæ est maxime  
propria.

6. Aliter ergo ita probari posse nobis videtur hoc  
modo : Qvibuscunq; natura onus procurandi liberos  
imposuit, iisdem potestatem qvoq; in liberos procuran-  
dos concessit. At qvi parentibus natura imposuit onus  
procurandi liberos E, iisdem potestatem qvoq; conces-  
sit. Major negari non potest, qvia videtur implicare  
contradictionem alicui imponere curam & inspectio-  
nem sine potestate. Minor probatur ex experientia &  
nimia ista *σογγη* & solitudine, qvam natura non homi-  
nes solum sed omnia animalia docuit, adeò ut pullos fo-  
veant, nutriant ac defendant, ita ut non opus esse pute-  
mus qvorundam commemoratione, cum solidè id cdo-  
ceamur ab iis, qvæ qvotidie circa nos versantur. Unus-  
qvisq; habet potestatem in id, qvod ipsi est proprium.  
Jam verò liberi sunt caro & sangvis de ipsissima paren-  
tum carne & sangvine, Ergo qvoq; parentes in liberos  
habent potestatem : Minorem recte non nullibi innuit.  
JCtus Paulus, qvando vocat *liberos carnem patris nova ani-  
ma auctam*, nec de ipsa aliquem dubitaturum credo, qvi  
vel aliquantis per naturam rerum earumq; generatio-  
nem intelligit.

7. Ha-

7. Hactenus qvod detur patria potestas, seqvitur  
in qvo consistat. In tribus ergo consistere dicimus: 1. In  
imperando, ita ut filius obedire teneatur parentibus:  
Aulus Gellius l. 2. Noctium Att. c. 7. refert aliquid sen-  
tentiam statuenterem, prorsus non esse parendum paren-  
tibus & innihilo, propterea, qvia qvando pater imperat,  
aut recte imperat aut inique: Si recte non qvia imperat  
parendum, sed qvoniam id fieri jus est, faciendum est; si  
perperam, neqvaqvam scilicet faciendum, qvod fieri  
non oportet, Ergo nunquam ipsi est parendum: Sed fa-  
cile & recte respondet Gellius, dari tertium inter hone-  
sta & turpia, scilicet qvæ in medio sunt & Græcis μέσα  
& αδιάφορα dicuntur & in his esse patri obediendum di-  
cit: qvibus nos adjungimus, nihil esse absurdum eum  
imperare posse honesta, licet enim per se erant facienda,  
qvando tamen non fiunt, denuo sunt imperanda. Media  
igitur & honesta imperare potest pater, turpia neqvaqvā  
& sicut magistratus officium & imperium solūm usq;  
ad aras se extendit, ita etiam parentum: qvomodo autem  
filius se gerere debeat erga patrem turpia imperantem,  
bellè ostendit Gellius loco citato. *Ea quæ obseqvi non opor-  
ret, leniter ac verecundè, ac sine detestatione nimia sineq; opprobrati-  
one acerba reprehensionis declinanda sensim & relinqvenda potius,  
qvam respuenda:* Ad hæc turpia qvoq; refertur, id qvod  
fit ad perniciem patris: unde Aristoteles prohibet, ne  
patri febricitanti vinumq; petenti illud offerendo obe-  
diat filius. Præterea docent filium liberari ab obedientia  
per officium publicum, unde Taurus Philosophus ita  
pronunciabat de hac re, ut in publicis locis præferretur  
magistratus, non habita ratione juris domestici, in pri-  
vatis

vatis verò observaretur jus domesticum. Et laudatur Fabius Gurses, qvi Consul obvium Patrem Proconsulem jussit eqvo descendere, & peditem ad se venire, qvem ipse laudavit pater, hortatus, ut pergeret autoritatem Consularem ita tueri. Plut. in Fab. Max. Si qvi porro alii possunt ostendi modi non refragabimur:

8. Qvia autem contumax s̄epe juventus non audit parentum imperium potestas patria consistit porro 2. in coērcendo & 3. puniendo in delictis parvi momenti. Ita pater potest filium castigare imò & carcerare. Etsi enim privati cárceres aliás omnino sint prohibiti, adeo ut notam lāfæ majestatis incurrat, qvi secus fecerit, ut testantur leges: magni tamen nominis Jcti permittunt id parentibus ex ea ratione, qvod hæc incarceratio fiat, non ad custodiam sed ad morum filii emendationem: vid. Pascalis p. 3. de viribus patriæ potestatis c. 4. Reinh. König p. 1. theat. polit. c. 1. n. 124.

9. Qvod si prisca qvidem respiciamus tempora, patriam potestatem apud gentes quasdam ita ab omnibus terminis invenimus absolutam, ut licuerit parentibus liberos propria autoritate occidere, imò major fuerit hæc potestas in liberos quam inservos: Romanis id permisum erat à Romulo, ut supra enarrabat Halicarnassæus, non qvidem, ut Rævardus existimat c. 3. ad ll. 12. tabl. per legem scriptam, sed coniuetudine obtinuerat, qvod idem etiā quo modo seqventibus temporibus fuerit retentum, idem refert Dionysius loco citato. *Hanc legem*, ait, *Prisci illi Reges omnium præstantissimam ducentes observarunt, Et sublato regno, quamprimum populo Romano visum est omnes patrios mores & leges unà cum ascitiis in foro palam omnibus*

B

bus

bus civibus proponere , ne jus publicum cum ipso magistratum do-  
minatu intercederet , Decemviri , quibus à populo potestas data fue-  
rat colligendarum & conscribendarum legum , eam inter cæteras  
retulerunt , & extat in quartilla , quæ in foro positæ ita docantur .  
Etsi igitur nonnulli sint , qui hanc Romuli atrocitatem  
statim per subsequentem Numam Pompilium sublatam  
existiment , verior tamen nobis videtur sententia Hali-  
carnassæi , propterea quia historiæ subsequentium tem-  
porum testantur , eam post Numam quoq; fuisse obser-  
vatam : cum enim junior Horatiorum victor de Curia-  
tiis obviam sororem occideret , propterea q; capitali esset  
plectendus pœna : Horatium patrem ita pronunciasse  
commemorat Livius : Se judicare sororem jure cæ-  
lam , aliâs privata potestate se fuisse animadversu-  
rum in filium . Qvod si ergo privato jure potuit anim-  
advertere , ergo tum temporis regnante Tullo Hosti-  
lio , Numæ successore nono ejus imperii anno viguit  
potestas patriæ , qualem instituerat Romulus . Alias gen-  
tes quod attinet , iisdem in usu fuisse hanc potestatem ,  
testantur Historici § . 2 . relati & plures refert Bodinus 1.  
de Republ . c . 3 .

10. Sicut autem statim Romuli temporibus ho-  
mînes judicârunt hanc potestatem crudelem , & gravi-  
rem , quam naturalis affectus & amor patiatur , ita poste-  
rioribus seculis rigor hic & atrocitas ab Imperatoribus  
per leges fuit sublata : ita videri potest ex l . 5 . ff . lib . 48 . tit .  
9 . ad leg . Pomp . de parricidis , ubi Divus Hadrianus fertur  
cum in venatione filium suum quidam necaverat , qui  
novercam adulterabat , in insulam cum deportâsse ,  
quod

qvod latronis magis, qvam patris jure eum interfecerit.  
Nam patria potestas debet in pietate non in atrocitate  
consistere: Imò gravissima pœna transgressoribus fuit  
constituta in dicta lege Pompeja: ut si qvis filii fata præ-  
paraverit, pœna parricidii puniatur, & neq; gladio, neq;  
ignibus, neq; ulli alii solenni pœnæ subjiciatur, sed insu-  
tus culeo cumcane & gallo gallinaceo & vipera & simia  
invicinum mare vel amnem projiciatur, qvod pœnæ  
genus etiamnum hodie retineri conservavit. Eandem  
qvoq; crudelitatem non agnoscebant Græcorum legis-  
latores, Solon, Pittacus & Charondas, parentibus, teste  
iterum Halicarnassœ loco citato, permittentes, ut con-  
sumaces liberos domo expellerent, & exhæredarent,  
prætereaq; nihil.

ii. Ita ademta fuit parentibus potestas vitæ & ne-  
cis in liberos, sed non sine plurimis Bodini aliorumq;  
qvorundam querimoniis. Ille enim i. de republ. c. 3.  
n. 22. ita: *Hæc omnia eò pertinent, ut planè intelligatur, jus vitæ*  
*& necis in liberos patribus perniciose exemplo ademtum restituī*  
*oportere, alioquin nullus jam virtutibus, nullus imposterum honestati*  
*publicæ relinqvetur locus & n. 24. ait: primam labem & patribus*  
*eripiendæ potestatis originem à magistratum ambitiosis decretis*  
*manavisse: Pro astraunda autem sua opinione seqq. af-*  
*fert rationes. 1. Juris gentium est patrem hac potestate pollere,*  
*Ita Hebræi, Celtæ, Persæ &c. & pleræq; gentes habuerunt. 2. Hoc*  
*jure, inquit, patriæ potestatis Romanam Rempublicam d'utissimè*  
*stetisse, & ab interitu saepius servatam fuisse constat, cum patres de-*  
*rostris liberos seditiones leges promulgantes dejicerent, ut quidam*  
*Cassius filium legem Agrariam ad tuenda populi commoda feren-  
tem de comitio præcipitem spectante Populo Romano disturbavit,*

B 2

deinde

deinde familiari iudicio damnatum neci dedit. n. 22. 3. Nullam cognitionem suscipiunt magistratus, quod liberi parentum ius a contemnunt, quod aspernantur, quod irrident, neq; judicia constituuntur aduersus filios aleatores ebriosos, &c. & ita male ponuntur fundamenta Rerum publicarum, qvibus ita positis quomodo ipse stabant. n. 23. 4. Causam esse, ut tot litibus ac iudiciis impediantur magistratus, quæ intercedere solent inter parentes ac liberos, inter fratres ac sorores, quæ omnes de jure antiquo facile dirimebantur.

12. Sed in hoc passu contra Bodinum insurgunt Konig p. 1. theatr. Pol. c. I. Liebenthal 4. Exercit. Pol. q. 3. Arnisæus c. 5. de republica p. 97. Heiderus c. I. system. Pol. p. 184. Cellarius l. I. Pol. c. 4. §. 13. & J. C. torum plurimi, qvibus & nos subscribimus: Varias autem rationes afferre solent quod 1. Vindicta privata omni jure sit prohibita 2. Patria potestas non debeat in atrocitate sed pietate consistere. 3. Liberos esse partes parentum seu aliquid ipsorum, neminem autem sævire debere in propria membra: Nos dicimus illi nequaquam esse concedendam hanc potestatem, qui propter affectus illa bene uti eamq; administrare non potest. Maximè enim in irrogandis poenis observanda est justitia, at verò sic ut aliae virtutes, ita & haec cum affectibus stare non potest. Futurum enim esset, ut modo in excessu peccaret pater modo in defectu, & ea sæpè toleraret, quæ tolerare nefas, ad cuius probationem ipsis Bodini utemur verbis, quando tantam esse ait parentum in liberos pietatem, tantum amorem, ut nunquam iudicibus de filiorum capite statuere permettant, etiam si ab illis letalium vulnera accipient, idq; non ita pri dem apud se contingit, ut pater à filio, quem leviter castigare vellet, letale vulnus acciperet: Pater metuens, ne filius à magistratu comprehensus

prehensus capite lueret, ad extremum usq; vitæ suspirium cohortari non desit, ut fugâ salutis suæ consuleret. Ac paulo ante pergit, in agro Tolosatum mater quædam omnes filii contumelias, verbera & injurias perpeti maluit, quam accusare filium apud judicem, qui ad extremum re turpisima commotus, quod scilicet filius in matris cibarium ventrem exonerasset, pecunia multatum relegavit, qui cum provocasset ad curiam, judices iniquè judicatum resciderunt, hominem perditum vivum cremari iusserunt, matre miserrima quæ relis legum ac judiciorum atrocitatem incusante & commiserationem Judicum nec quicquam implorante. Hæc Bodinus, quæ nos assumimus & dicimus, quod si ita est, ut parentes ex nimio affectu non patientur à magistratu tanta delicta puniri, quanto minus ipsi potestatem necis & capitale supplicium exercebunt, & ita liberi impunes ea perpetrabunt, quæ horrenda: & hoc modo male ponerentur fundamenta rerum publicarum. Præterea, quod metuit Bodinus, fore ut nunquam Parentes accusent liberos metu severioris poenæ, jamtum prævisum fuit à legum-latoribus & caustum, ut Patri sponte filium Judici offerrenti poena minorari debeat, ut testatur Pascalis p. 3. de viribus patriæ potestatis c. 3. per totum. Hæc ita ex una parte. Ex altera metuendum esset, ne nimius exoriatur rigor, sæpeq; levi de causa pater liberos det internecioni. Ita enim evenire solet, quando abiis lædimur à quibus beneficia expectabamus, ut maximè exacerbescamus justo dolore iram adaugente, ut loquitur Arnisæus, indeq; modum vindictæ excedamus. Id quod animadvertebat Plato, qui servum delinquentem ipse castigare noluit, sed Speusippo tradidit verberandum quia ego, inquit, irascor plus faciam, quam oporeet. Senec. 3. de ira

c. 12. unde recte Liebenthal: quo quis impensus amat, eò semel  
atq; iterum læsus odit gravius. Siquidem nihil nobis es; gravius,  
quam lædi & injuria affici abiis, à qvibus beneficia promeriti era-  
mus. Præterea qvibuscunq; Deus gladium non tradidit  
& potius aliis, illi jus vitæ & necis non habent, Sed pa-  
rentibus Deus gladium nunquam, sed aliis trādidit: Ergo  
jus vitæ & necis non habent. Minor est bimembrib;  
qvoad prius dicimus, debere nobis ostendi locum, &  
qvantumvis Bodinus in medium producat locum Deut.  
c. 21. v. 18. supra citatum hoc modo: lege *Divina tributa* es;  
parentibus potestas filios erga se rebelles lapidibus obruendi, modo id  
fiat præsente magistratu, cui nulla ejus rei cognitio aut iurisdictio  
datur, sed ideo decretum es;, ne pater iracunda percitus latenter  
occidat filium, qvia pœnarum omnium fructus maximus pertinet ad  
exemplum. Respondem⁹. Videri hanc explicationem tex-  
tui violentam, nam Deus jubet parentes, filios accusare  
coram populo, accusans autem non est judex. Deinde  
qvid opus eset deducere filios ad portam judicij & se-  
niiores urbis, cur non sufficeret convocare aliás turbam  
hominum, si ideo solūm filius eò erat deducendus, ut  
innotesceret pœna ad exemplum. Posterius minoris  
membrum probamus ex Rom. 13. ubi Deus magistratui  
gladium assignat.

13. Ad priorem rationem arguit Bodinus 1. Tan-  
tum esse parentum erga filios affectum, ut non possint  
iniqvè cum illis agere vel contra justitiam. 2. Nullum  
unquam dari exemplum, ubi pater sua potestate fuerit  
abusus. 3. Demus, inquit, extitisse non neminem iniqve  
hac potestate utentem, an propterea bonus legislator le-  
gis optimæ rogationem deserat, si qvis qvid contrale-  
gem

gem aliquando peccaturus est. Sed respondemus ad 1. Fa-  
tendo, magnum quidem esse affectum parentum in libe-  
ros & propterea parentes nimis indulgere posse liberis :  
Nihilominus tamen fieri potest, ut affectus non solum  
quandoque cesset, quod testantur exempla parentum vel  
ipsos liberos interficiendi, vel solum cædes ipsorum ir-  
retorto oculo spectantium, sed etiam ut in maximu[m] furo-  
re degeneret; quando ut supra diximus à filiis læduntur.  
ad 2. falsum est non dari exempla : legatur Plutarchus in  
Cicerone, qui refert de Dejotaro, eum omnes filios inter-  
necioni dedisse, ne impedimento essent illi uni, quem ad  
imperium delegerat, quæ conjectura an sufficiens causa  
fuerit, dubitamus sanè : Item l. 1. ff. tit. 2. de origine juris  
§. 24. refertur, quomodo Virginius interfecit filiam,  
non sanè sat gravi de causa : De Machæo commemorat  
Justinus l. 18. eum filium suum levi de causa in crucem  
egisse: ut alia taceamus exempla. ad 3. respondemus. Ne-  
quaquam ferendam legem, quæ plus incommodi, quam  
utilitatis habeat, ut hic se res habet 2. legem cum in-  
commodo esse tolerandam, si alia via vel ratio dari non  
potest, quod verò hic non est. 3. legem posse perferri, si  
aliiquid incommodi, non verò in justi secum afferat, ut  
iterum hic fit.

14. Restat jam ut ad argumenta Bodini principa-  
lia respondeamus : Dicimus ergo ad 1. negando, potesta-  
tem hanc esse juris gentium, quia ad hoc requiritur, ut  
ab omnibus gentibus observetur. Jam verò supra di-  
ctum fuit, Græci hanc potestatem non agnoverunt.  
Neque id de Hebræis demonstrari potest: quod autem apud  
multas fuerit, nihil concludit, quia multitudo errantium  
non

non parit errori patrocinium. ad 2. Negamm⁹ hanc consequentiam: Qvodcunq; vergit ad salutem reipublicæ, illud statim licitum est: damus instantiam: occidere tyrannum vergit ad emolumenntum reipublicæ: Ergo est occidendum? Negatur. Deinde probet Bodinus, intercessionem Flaminii conservâsse Rempublicam Romanam, sufficiebat de rostris rapuisse, licet non occidisset. ad 3. N. consequentia: magistratus hujus rei cognitionem non suscipit, Ergo cuilibet alii licitum est irrogare poenam: datur enim tertium, debet scilicet accusare, secundum præceptum Divinum supra citatum. ad 4. Egregie respondet Liebenthal: Bodinum in hoc argumento imitari malos medicos, qui sentinam humoris gravantis ab uno membro rejiciunt in alterum & gloriantur interim, quod à morbo ægrotum liberârint. Sic Bodinus liberat curas litibus, sed iisdem replet families, dum parentibus domum remittit expediendas, quas tot Viri prudentes coniuncto consilio expedire sæpe nesciverunt, & si jus esse eo modo litium segetem demetere, cur non duella antiquorum & Saxonum Faustrecht postliminiō redire jubemus. Qvibus nos addimus, fore ut sæpè iniquè & inæqualiter decernantur lites & causæ fratum, cum sæpè & ut plurimum parentes uni liberorum magis favant, quam reliquis: Melius itaq; magistratui relinqvitur hæc res, penes qvem hoc periculum non datur.

15. Unicum, anteqvam hinc abeamus, lubet qværere, an parentum potestas usq; ad matrimonium liborum: qvæ qvidē qvæstio intelligi potest, 1. ratione exercitii, an pater possit imperare filio ut jam uxorem ducat: Affirmat Gellius, & objectum hujus imperii inter μέσα refert, in qvibus obedire patri teneatur filius: 2. ratione speci-

specificationis, an possit imperare ut hanc vel illam filius ducat : Nos negamus : An verò impedire possit pater matrimonium filii, iterum alia est quæstio, seu an consensus parentum requiratur ad matrimonium : Nonnulli dicunt requiri de honestate, non verò de necessitate : Nos dicimus requiri de necessitate, ita ut dissensus parentum dissolvat matrimonium, hoc præsupposito, quod sui dissensus sufficientem possint reddere causam. Neq; verò valet consequentia : *Qui potest impedire, potest quoque constituere, quia sicut ut aliis effectus producatur, requiruntur plures causæ conjugium, ut verò impediatur, unicæ absentia sufficit, ita ad contrahendum matrimonium, plurimum requiritur consensus unici verò absentia illud impedire potest.*

16. Seqvitur nunc, quamdiu vigorem suum hæc patria potestas obtineat : Non enim semper in ea manere filii, sed exire dicuntur aliquando : *Quando autem exeant, varii fuerunt constituti termini. De Græcis refert Dionysius l. supra c. Qui Græcas rerum publicarum formas constieuerunt, quoddam tempus admodum breve statuerunt patriæ potestatis in liberos, alii quidem donec tertium pubertatis annum explevissent, alii verò quamdiu cælibes mansissent, alii donec eorum nomen inter viros, & eos qui ad Magistratus gerendos sunt idonei, publicè relatum esset. Numæ Pompilii lex erat : Si pater permiserit filio uxorem ducere, patri post hæc nullum jus esto vendendi filium.* Et hic quidem mos, ut per matrimonium exeant, etiam apud Germanos videtur obtinuisse, ut nonnulli propterea matrimonium inire à nobis putent dici freyen / quod per id liberi fiant à potestate patria liberi. Facile autem id constat de filiabus, quæ

C

quan-

qyando enim Viro nubunt, sub ejus potestate veniunt.  
Verum qvia liberos potestate patria etiam exire putamus, etiam si nunquam matrimonium incant, dicimus:  
Tamdiu esse eos in potestate patris, donec cessent a parentibus procurari. Distincte hæc proponit Hugo Gro-tius l. 2, de jure B. & P. c. 5, ubi tria distinguit tempora in liberis, Primum vocat imperfecti judicii, in quo omnes liborum actiones sub dominio parentum sint. Cum enim aquum sit ut qui ob judicii imbecillitatem semet ipsos regere nequeunt, ab aliis regantur, naturâ regimen illud parentibus merito desertur: Secundum tempus vocat perfecti judicii, ita tamen ut liberi adhuc sint pars familiæ parentum: in quo cum primis quoad illas actiones, quæ ad familiæ paternæ aut maternæ statum aliquid momenti habet, parentum imperio liberi subsunt. Tertium vocat tempus, quo ex familia parentum liberi excesserunt.

17. Ubi tamen monemus, longè aliud esse exire è potestate & exire è cultu & reverentia erga parentes: Illud dicimus hoc verò minimè: Cultum enim & reverentiam observare debent, quamdiu vivunt & ex ea nunquam exeunt. Colunt autem parentes vel 1, Negativè, eos non offendendo, cuius quidem debiti transgressio ab omnibus semper habita fuit pro scelere gravissimo, unde Venusinus scelestum hominem delineatus, ait:

*Illum & parentis crediderim sui  
fregisse cervicem.*

Et Solon non putavit tantum scelus dari posse: Atheniensibus enim leges conscribens, & interrogatus, quidni & parricidis? Neminem, inquit, tam detestabilem, credo, quid perpetraturus sit. In grayescensibus verò delictis

Etis poena acerrima fuit constituta, ea scilicet quam supra  
retulimus ex lege Pompeja. 2. Positivè, qui cultus in quo  
consistat fusè exponit Heiderus c. 1. System. Pol. p. 188.  
scilicet 1. in *Amore sincero* 2. In *Sermonे*, honorifice de iis  
sentiendo 3. In *Opere præfertim si ad senectutem deveni-  
ant, illos alendo: quod quidem ita necessarium putat*  
Aristoteles, ut in annonæ caritate parentibus potius,  
quam sibi de victu debeant prospicere filii: Ita enim ait:  
*Parentibus autem præcipue alimenta suppeditanda videntur, ut-  
pote cum debeamus, cumq; illis, qui in causa sunt ut simus, honestius  
sit quam nobis ipsis in his opem ferre.* Qvò pertinet honor &  
obsequium. Ita enim eodem loco pergit Philosophus:  
Honor quoq; parentibus quemadmodum Diis exhibendus est. 4. In *patientia*: Sed quid opus, singula singula-  
tim recensere, cum filii parentibus debeant omnia, quæ  
ipsis grata accidere possunt:

18. Cum discrimine tamen liberos debere paren-  
tibus beneficia docent Politicorum pleriq;, patri scilicet  
majora, matri minora. Ita Cellarius l.c. §. 28. in eandem  
sententiam citans Giphantium, qui alium dicit honorem  
patri, alium matri deberi, patri maiorem, minorem ma-  
tri. Colligunt verò id multi ex 9. Eth. 2. ubi Philosophus  
ait: *Honor quoq; parentibus, quemadmodum Diis exhibendus est,*  
*non omnis tamen parentibus, neq; idem patri & matri, neq; is qui*  
*convenit sapienti aut duci, sed paternus & simili modo maternus.*  
Hanc igitur honoris diversitatem consistere putant in  
quantitate, quod scilicet ideo non iidem sint, quia patris  
debeat esse major, matris minor: Nihilominus tamen ut  
verum fateamur hæc ex mente Philosophi nequaquam  
colligi posse dicimus; audiamus paraphrasin Eustratii

in

3087.

in hunc locum : Non tamen ait, omnis honor patri est tribuendus neq; idem patri & matri : Patrem enim se qui in balneum & abstergere, reliquaq; ei præstare, quæ in lavando solent & decorum & honestum es<sup>t</sup>, matri idem facere, indecorum es<sup>t</sup> minusq; honestum. Qvod si igitur Eustratio credimus, Aristoteles loquitur de alietate & diversitate honoris specifica, non verò ea, qvæ est secundum majus & minus : Imò credimus propter antecedentia : Non omnia igitur omnibus esse tribuenda, neq; patri omnia, quemadmodum neq; Jovi omnia sacrificantur, obscurum minimè es<sup>t</sup>. Quia verò alia parentibus & Patribus & sodalibus & bene meritis reddenda sunt, singulis propria & accommodata sunt tribuenda : Ubi sanè non ait : hisce diversis honores quoq; diversos & qvidem in eo, esse tribuendos, ut alter sit major, aliis minor, sed qvod diversi exhiberi debeant secundum speciem & cuilibet horum talis, qualis ipsi est conveniens : Rem ipsam qvod spectat dicimus, illi parentum majora vicissim beneficia deberi, qui majora contulit. Si ergo pater majora contulit, omnino quoq; majora meretur :

19. Cum primis de obseqvio dicit Cellarius loco citato  
§. 29. parentibus contraria imperantibus filios debere morem gerere patri : Ut si pater jubeat filium ut in forum abeat ibidemq; pisciculos emat, mater autem in mandatis illi det, ne pedem extra domum ponat, optimè filium suis rebus consulere si patri morem gerat : Qvod qvidem ideo rectè dicit, vel qvia patris potestas est major, vel qvia licet patri & matri æqualis sit, ex alio tamen principio matris potestas limitatur, quat. scilicet ut uxor patri tanquam marito subjecta est. Sed hæc de potestate patria.

Deo sit gloria!


X2615901

VD 77



**FarbKarte #13**

**B.I.G.**



1656.

1656, 10

MC

N

Z

P

Q. D. B. V.  
Disseratio Politica  
De

# POTESTATE PATRIA,

*Quam*  
Permissu Superiorum  
Præside

M. GOTTFRIDO ZAPPFIO

Thuringo  
publicæ ventilationi  
exponit

## MARTINUS Siebenhaar

Vratisl. Silesius  
ad diem 21. Maji  
Anno 1656.  
H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ  
Typis RITZSCHIANIS.  
jo.

J. M. Leissner

